RESPONSA
AD
ANNOTATIONES CRITICAS
D. F. A. T.
IN SERMONEM
DE
MARIA RENATA
SAGA SUPPLICIO ADDICTA
die 21. Junii Anno 1749. Herbipoli
habitum,
Veronæ Typis evulgatas, in lucem edita ab Authore ejusdem
Sermonis

P. GEORGIO GAAR, S. J.
Sacrosanctæ Theologiæ Doctore, & in Ecclesiâ Cathedrali
Concionatore Festivali.


CUM LICENTIA SUPERIORUM.



WIRCEBURGI, Typis Marci Antonii Engman, Typographi Aulici.

Hæc dicit Dominus : State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit bona, & ambulate in eâ, & invenietis refrigerium animabus vestris. Et dixerunt: non ambulabimus. *Jerem. 6. c. v. 16.*

Finis autem Præcepti est Charitas de corde puro, & Conscientiâ bonâ, & fide non fictâ, à quibus quidam aberrantes conversi sunt in Vaniloquium, volentes esse Legis Doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. *1. Tim. 1. c. vv. 5. 6. 7.*



Lector Amice.

NOvitas delectat, Vetus parœmia est, sed moderno sæculo apprimè conveniens. Nunquam, ùt reor, tot quæstiones novæ infelici partu in orbem literatum prodiêrunt, quot nostris hísce temporibus in medium sunt allatæ. Omne thema, omnis materia severæ crisi subjacet: omnes propemodùm artes & Scientiæ Neo-tericorum Examine reorum velut corpora in equuleo torquentur. Videmur jam cœlum habere novum, nova Elementa, novum mundi systema, dum illæ veterum opiniones, quæ nostris retrò temporibus vix in dubium vocatæ sunt, falsitatis & erroris iniquo condemnatæ judicio explòduntur, & exsibilantur. Sed, ùt ait S. August. lib. de Anim: *Semper Viris Sanctis suspecta novitas:* De eâ potissimùm intelligas velim, quæ veterum Theologorum & Philosophorum sensa ac opiniones convellit. Luget etiamnùm S. Mater Ecclesia irreparabile damnum ex ingeniorum in nova semper prurientium temeritate exortum. Avertant Cœlites, Novatorum ut vestigiis insistam: Domini effatum est: *State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in eâ.* Prompto id observavi Studio, & nihil, quod antiquæ Ecclesiæ, nihil, quod Theologorum & Philosophorum antiquorum Sententiis adversaretur, sed certa potiùs & indubitata sermoni meo

insti-

inſerui. His tamen omnibus inſuper habitis inventi ſunt quidam *ex filiis Matris meæ*, qui tacentibus Acatholicis *pugnaverunt contra me.* Horum ſe Principem fecit Vir ignoti hucuſque in Germaniâ nominis Dr. F. A. T., qui, neſcio, quo afflatus Spiritu, Annotationibus undecim Italicè conſcriptis, infirmâ cum Criſi poſitis, Veronæ in lucem editis, & longè, latéque ſparſis (quas nunc ex Italico idiomate in Germanicum transferri curavi, indéque in Latinum utpote idioma Eruditis in toto orbe commune tranſtuli) Sermonem meum, imò omnia Europæ Tribunalia infamare non reformidavit. Quantùm autem illæ à ſanâ, & genuinâ doctrinâ abhorreant, quantámque Tribunalibus injuriam inferant, in præſentibus paginis diſcutiemus, & inanes Objectiones diſſolvemus. Si tibi, Lector Amice, de legitimâ verſione, quæ ſaltem ſubſtantiam attingit, dubium forſan obvenerit, appreſſa in fine propria Authoris verba deſuper conſulere poteris.

Annotatio Prima.

AD Diabolos incubos & ſuccubos quod attinet, magnum de illis Antiquiores, majus Recentiores dubium conceperunt. S. Auguſtinus lib 3. c. 4. & lib. 15. c. 23. de Civitate Dei movit hanc quæſtionem, non decidit: rem pernegare temeritatis eſſe duxit, ſiquidem ea Sententia communis habita, & Virorum fide digniſſimorum aſſenſu ſtabilita fuit: illos tamen, qui datam quæſtionem ſuæ in favorem opinionis interpretabantur, temeritatis non redarguebat, licèt idem ipſe ut faceret, non attentaret. Fauni illi, qui tanto ardore ſequiorem ſexum appetebant, & Dæmones judicabantur, fuerint fortè Animalia rationis expertia. Perſpectum ex Phyſicâ tenemus, certas dari & grandes ſimias ſalaces, quæ tam ſuum, quàm humanum alterius ſexûs genus amore depereunt. Quin adeò D. Thomas commercium Dæmonum cum Sexu Fœmineo dum dari conceſſit, fundamentum non aliud ſuæ Sententiæ, niſi S. Auguſtini Authoritatem adduxit. Ecce quàm debili fundamento hæc innitatur Sententia, quam deinde innumerabilis Authorum caterva cœco mentis impetu eſt amplexata. Non tam ratio, quàm publi-

publica Authoritas huic opinioni pondus addidit & incrementum. Dæmonis potestas videtur extendi super aëra, lucem, vapores, & alia fluida, quibus concurrentibus crederes eum omnia posse in effectum redigere, sed re ipsâ meræ sunt præstigiæ, & Dæmonis illusiones. Universim Dæmonographi admittunt, Dæmoni Vires inesse & potestatem, solida movendi corpora, sed assertum non demonstrant: Nec locum hìc obtinet paritas de Animâ, quæ corpus humanum motare potest. Dicti incubi & succubi in se spectati non sunt usitata adeò moneta, proùt P. Prædicator hìc persuadere voluit: nec aliis tam facili negotio, ac populo Herbipolensi fuisset persuasurus.

Respons. ad Annot. I.

DE incubis & succubis Diabolis nullam verbis expressis mentionem feci: utinam & tu D. Dr. F. A. T. nullam fecisses, & materiam tam turpem ac Verecundiæ inimicam in linguâ vernaculâ populo incauto non proposuisses! timendum sanè, ne legentium pusillorum oculi offendantur. Huic malo ut in terris nostris occurrerem, nolui Stylo Germanico respondere; erubesceret enim germanicus calamus, si sordido ejusmodi cœno se immergeret. In Annotatione primâ tria potissimùm negare videris: *1mò.* Quòd Magi & Sagæ cum Dæmone carnale commercium habeant. *2dò*, Quòd Dæmon possit verè, & non tantùm apparenter producere certos effectus. *3tiò*, Quòd Dæmon possit corpora solida movere, & ea ab uno loco in alium transferre. Ad 1mum quod attinet, audiamus Delrium Disquisit. mag. lib. 2. Q. 15. *Solent Malefici, & Lamiæ cum Dæmonibus, illi quidem succubis, hæ verò incubis actum venereum exercere. Perperàm hoc negârunt complures Hæretici, inter quos Pars ista negativa communior videtur; ex Catholicis etiam nonnulli, sed pauci admodùm, ex Belgis Philippus Broideus, ex Italis Cardanus, Pontzinibius, & Baptista à Porta; sed horum Authori-*

thoritas non magna, si cum contrarium asserentibus eam componas. Placuit affirmatio Axiomatis adeò multis, ut verendum sit, ne pertinaciæ & audaciæ sit ab iis discedere; communis namque hæc est Sententia Patrum, Theologorum & Philosophorum doctiorum, & omnium ferè sæculorum atque nationum experientiâ comprobata. Veritatem hujus asserti deprehendet, quisquis Theologorum & Philosophorum Catholicorum volumina attento rimari oculo voluerit. In hanc quoque Sententiam plures ex Heterodoxis abeunt. Joannes Georgius Gödelmannus Jurium Doctor, licèt negativam teneat, tamen lib. 2. de Magis & Sagis c. 5. pro hâc Sententiâ affirmat stare Lutherum & plures alios. Carpzovius pariter Acatholicus Part. 1. Quæst. 49. de crimine Sortilegii Num. 42. sic scribit: *Certè enim opus hoc diaboli naturæ non repugnat, ùt qui Spiritus est fornicationis & Spurcitiæ Oseæ 4; etsi enim Dæmon verâ carne & corpore destituatur, certum tamen est, eum sibi corpus, idque vel mortui cadaver, vel ex vaporibus, ùt puta, äere, terrâ, & aquâ concretis, densatísque, molem, quæ & videri & palpari possit, circumdare; & tali assumpto corpore* &c. &c. Fateris etiam D. Antagonista, quòd S. August. lib. 15. de Civitate Dei c. 23. temeritatis esse duxerit rem omninò pernegare, sic enim S. Doctor ait loc. cit: *Quoniam creberrima fama est, multíque se expertos, vel ab eis, qui experti essent, de quorum fide dubitandum non est, audîsse confirmant, Sylvanos, Panes, & Faunos, quos vulgò incubos vocant, improbos sæpè extitisse mulieribus, & earum appetîsse, ac peregisse concubitum; & quosdam Dæmones, quos Dusios Galli nuncupant, hanc assiduè immunditiam & tentare, & efficere, plures, talésque asseverant, ut hoc negare impuden-*

pudentiæ videatur, non hic aliquid audeo temerè definire. Fateris hoc, inquam, & nihilominùs plus audes, quàm S. Augustinus, dum commercium carnale Magorum & Sagarum cum Dæmonibus, quin temeritatis notam pertimeſcas, omninò (ùt liquet ex verbis Annotationis hujus ultimis) pernegare attentas.

Faunos illos, qui tanto ardore ſequiorem ſexum appetebant, non Dæmones, ſed fortè ſimias fuiſſe, unde probatur? cui potiùs fidem adhibeam? tibi, an S Iſidoro? S. autem Iſidorus lib. 8 c. ult. teſte Sprengero Part. 1. Quæſt. 3. dicit, Faunos illos fuiſſe Dæmones. Et iſtud apud te, D. Antagoniſta, in confeſſo eſt, quòd S. Thomas commercium Dæmonum cum Sexu Fœmineo dari conceſſerit; addis tamen, quòd præter allegatum S. Auguſtini Textum nullum aliud fundamentum habuerit, ejúsque Sententiam innumerabilis Authorum caterva cœco impetu ſit amplexata. Hæc Adjectio ſi vera ſit, doleo vices tuas, Doctor Angelice, qui (ùt exindè ſequitur) hâc in re cœcus fuiſti, & Dux cœcorum. Doleo & vices veſtras ſacratioris Scientiæ Magiſtri penè innumerabiles, qui cum Duce cœco in eandem prolapſi eſtis erroris foveam, ex quâ ut educamini, ſolicitè vobis indagandum eſt: *ubi habitat videns?* Locum ſciſcitamini? Roboretti habitare dicitur. Sed quomodo videns ſit, cùm ſuprà S. Auguſtinum, ſupra S. Thomam, & Theologos innumerabiles ſapere velit? quomodo videns ſit, cùm non ſapiat ad ſobrietatem, proùt exigit Apoſtolus? quomodo videns ſit, cùm exiſtimet, S. Thomam æquè, ac reliquos omnes debili fundamento, ſoli ſcilicet Authoritati & non ſimul rationi innixos fuiſſe? legat Delrium lib. 2. Diſquiſit. magic. Quæſt.

15.

15. Binsfeldium Tractat: de Confessione Magorum fol. 26., & rationes naturales, eásque solidas inveniet. Adducerem illas, nisi contrarium decentius judicarem. Cæterùm miror verba Annotationis primæ ultima, non quidem ultimò, sed, ut major esset connexio, priùs ponenda: sic sonant: *Dicti incubi & succubi in se spectati non sunt usitata adeò moneta, prout P. Prædicator hìc persuadere voluit, nec aliis tam facili negotio, ac populo Herbipolensi fuisset persuasurus.* Dic Sodes! an non moneta usitata, quam ex propriâ tuâ Confessione S. Augustinus non rejecit, & S. Thomas cum innumerabili Authorum catervâ admisit? an non moneta usitata, cui ex Catholicis pauci admodùm contradixerunt? cur ergo eam non æquè facili negotio aliis, ac populo Herbipolensi tanquam probatam proponerem? turpiter erras, si populum Herbipolensem simplicitatis arguas, aut tantum rudes Concionibus interesse existimes; intersunt enim cujusvis statûs ac conditionis homines: intersunt Viri in hâc Almâ & Celeberrimâ Universitate doctrinæ & eruditionis famâ illustres, quorum cana prudentia nil nisi elimatum ingenio requirit: Viri intersunt, quorum matura judicii æquitas erroris caliginem facit exulare, & quorum multa experientia sapientissimam in causis dubiis feliciter resolvendis agit Magistram. Nemo igitur Herbipolim suggillare præsumat.

Secundò. Negare videris, quòd Dæmon possit verè, & non tantùm apparenter efficere aliquos effectus per celerem motum localem, & Elementorum naturaliter agentium, & patientium applicationem consurgentes, v. g. tempestates excitare &c. Sic enim ais: *Dæmonis Potestas videtur extendi super aëra, lucem, vapores, & alia fluida, quibus concurrentibus*

tibus crederes eum omnia posse redigere in effectum, sed re ipsâ meræ sunt præstigiæ, & Dæmonis illusiones. Sed quæro: fuítne mera illusio, vel effectus realis, quando Job. c. 1. operâ Diaboli ignis de cœlo delapsus Jobi oves & Pastores absumpsit? fuerúntne meræ præstigiæ, dum ventus validus Jobi domum concussit, cujus ruina liberos oppressit? tum certè temporis permittente Deo Diabolus absque illusione potestatem suam super Elementa exercuit, & quotiescunque causarum naturalium adminiculo quædam per se, vel Magos operatur, non est mera illusio: & ideò dum legimus Exod. 7. & 8., quòd Malefici Ægyptii fecerint ranas, serpentes &c. id verè factum esse, & non tantùm apparenter, sentit S. Augustinus, ùt videre est apud Suarez lib. 2. de superstit. c. 16. Quamvìs autem effectus, qui per Magos & Sagas fiunt, sæpè sint ex his, qui possunt verè fieri virtute Dæmonis, nec tamen semper verè fiunt, nec semper phantasticè, sed interdum uno, interdum alio modo: ùt est communis Sententia, Teste Suarez loc. cit., ubi distinguit tria genera effectuum, quæ, ne fusiùs excurram, hìc prætereo. *Tertiò* negas, quòdDæmon possit solida movere corpora, & consequenter etiam negas, quòd possit Magos & Sagas ab uno loco transferre in alium, adeóque putas, nocturnos Lamiarum Conventus semper esse meras præstigias, sic enim ais: *Universim Dæmonographi admittunt, Dæmoni Vires inesse, & potestatem, solida movendi corpora, sed assertum non demonstrant: nec locum hìc obtinet paritas de Animâ, quæ Corpus humanum motare potest.* Imò verò si Dæmonographi eum servarent modum, quem Dominus Philologus, in Annotationibus suis multa asserens, & non demonstrans, lubens adstipularer: Dæmonographi autem

 æquè

æquè, ac Theologi assertum demonstrant tum ex Scripturâ, tum ex ratione. In Scripturâ legimus, quòd Dæmon multa operetur circa homines, vel alia corpora; nam Tobiæ 3. c. Dæmonium occidit septem Viros Saræ. Jobi 1. c. & Sequent. multa mala narrantur, quæ Satan in tentatione Job operatus est, & c. 41. dicitur: *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei.* Certùm ergo est, quòd Dæmon habeat aliquam vim agendi in homines, & in corpora præsertim sublunaria: Ratio reddi potest ex perfectione naturæ Angelicæ, quia non est verisimile, esse expertem omnis actionis & virtutis activæ in corpora; si enim Spiritus imperfectior, ùt est Anima, potest agere in Corpus, multò magìs id poterit Dæmon, qui est Spiritus naturâ perfectior. Natura certè Spiritûs huic activitati non obstat, aliàs nec illam haberet ipse Deus, qui est Spiritus perfectissimus, Cur igitur dicis: *nec locum hìc obtinet paritas de Anima, quæ Corpus motare potest?* Ubi est ratio motiva, quare locum non obtineat? à paritate de Animâ ad paritatem de Angelis bonis transeo. Angeli boni habent vim agendi in Corpora, nec non virtutem, ea transferendi: ergo & eam Angeli mali habent. Antecedens probo ex scripturâ. Isaiæ 37. c. v. 36. Egressus est Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Actor. 12. c. v. 7. Angelus percussit latus Petri, ut è somno expergefactus & catenis liber è carcere exiret. Ecce vim agendi in corpora! Daniel. 14. c. Angelus transtulit Prophetam Habacuc. Math. 28. c. v. 2. Angelus Domini descendit de cœlo, & accedens revolvit lapidem. Ecce virtutem transferendi corpora! Consequentiam probo ex eo, quia virtus & potestas operandi ad extra, seu

actione

actione transeunte, quæ Angelis bonis est naturalis, in Dæmonibus post peccatum integra mansit, cùm per peccatum in Angelis naturalia non sint diminuta, nedum amissa: ùt est Axioma Theologorum cum D. Thoma 1. p. q. 64. art. 4. sumptúmque est ex Dionys. c. 4. de divinis nominibus. Si igitur Angeli boni hâc virtute valeant, & virtus naturalis in Dæmonibus non sit immutata, possunt & hi in corpora solida agere, ea movere & transferre. Et nunquid legimus de Christo Math. 4. c. v. 5. *Tunc assumpsit eum Diabolus in sanctam civitatem, & statuit eum super pinnaculum Templi.* Fuítne hæc Translatio realis, vel tantùm phantastica & imaginaria? *indignum est credere* (respondet Cornelius à Lapide in locum cit.) *Diabolum tam falsè illusisse phantasiæ Christi, præsertim cùm in interiora Christi Diabolus nullam habuerit potestatem - - - - - verisimillimè Christus ex deserto à Diabolo assumptus, id est, raptus est per aëra in pinnaculum Templi.Ità S. Hieronymus, Gregorius, Author imperfecti, Glossa, S. Thomas 3. Part. Quæst. 41. Art. 4. ad 7. & alii, hoc enim significat verbum assumere - - - - - & quod sequitur: Statuit eum super pinnaculum. Neque mirum id Christum Diabolo circa se permisisse, qui se permisit à membris illius (impiis Judæis) crucifigi, ait. S. Gregorius Homil. 16.* Jam sic argumentor: Diabolus permittente Deo ipsum Christum corporaliter transtulit, ergo à potiori Magos & Sagas ab uno loco in alium transferre potest. Verùm quidem est, quòd translationes Sagarum sæpè sint tantùm phantasticæ, seu imaginariæ, dum videntur sibi transferri à Diabolo ad epulum, vel tripudium solenne, quamvìs reverà non transferantur, sed Diabolus imaginationi illarum tantùm illudat, sicut illudit

 som-

ſomnus ſomniantibus; quod autem Diabolus Sagas nunquam de loco in locum transferat, communi doctrinæ adverſatur, ùt teſtatur Suarez lib. 2. de ſuperſtit. c. 16. N. 8. *Dubium non eſt, quin poſſit Dæmon mulieres has, quæ Sagæ, ſeu ſtriges vocantur, verè & realiter deferre in loca diſtantiſſima breviſſimo tempore, quia hic effectus non excedit virtutem naturalem Dæmonis, ùt conſtat.* Et N. 24. ſic ait: *Alii docent, omninò deferri has Sagas corporaliter ac verè ad loca diſtantia, & ibi cum aliis congregari ex variis, ac diſtantibus locis, multáque turpia, & Sacrilega in illis locis cum aliis ſimilibus, & cum ipſis Dæmonibus, fortaſſe in formâ viſibili & humanâ committere. Hæc eſt Sententia communis Theologorum, & Juriſtarum, ùt ait Pegna: in Direct. comment. 68. Eámque ità, affirmat Abulenſis Quæſt. 47. in c. 4. Math. ut dicat, non poſſe hoc ſine impudentiâ negari, cùm mille teſtes occurrant, qui harum rerum conſcii ſunt. Idem latè proſequitur Jacobus Sprengerus in malleo maleficiorum, & Caſtr. lib. 1. de juſtâ hæreticorum punitione c. 16. & Paulus Grillanus de ſortilegis Quæſt. 7. - - - - - - Denique ratio unica & prudentialis potiùs, quam ſpeculativa eſt, quia poteſtas non deeſt Dæmoni, ut hoc verè faciat, ùt patet ex dictis. Nec eſt, cur Deus id non permittat, ùt etiam eſt per ſe notum, cùm permiſerit Dæmonem transferre ipſum Chriſti Corpus ab uno loco in alium: Voluntas item Dæmonis promptiſſima eſt ad has mutationes, & congregationes pravas verè & realiter efficiendas, ſi videat illo modo poſſe ad majora peccata illas mulieres inducere, vel magìs id ſibi præſtare, ut ab eis majorem cultum, & adorationem conſequatur. Unde infinita ſunt teſtimonia & Confeſſiones ipſarum Sagarum, quæ ità ſibi hoc accidiſſe narrant: Ideóque multi*

multi prudentes judices illis fidem adhibent, & juxta gravitatem delicti, quæ indè resultat, illas puniunt. Rectè ergo dixit Abulensis, non posse hoc prudenter negari. P. Delrius lib. 2. Disquisit. magic. Q. 16. præter Demonstrationem ex ratione naturali affert experientiam tot exemplorum, ut sinè protervià quis dissentire nequeat. *Gravissimi*, inquit, *sanctissimique Patres referunt, Simonem Magum coram Petro, alarum Dæmoniacarum remigio in aërem sublatum, volitare visum. Similia de Abari Scythâ leguntur &c. &c. &c.* Et tu D. Antagonista hæc omnia negare non verearis, & dicere ausis? Dæmonographi assertum non demonstrant. Etiam Carpzovius Acatholicus Quæst. 48. de crimine Sortilegii Num. 56. sic inquit: *ideóque nec absurdè affirmatur, striges ac Lamias corporaliter ad conventus Diabolicos avolare, ac præsentes iis reverà adesse.* Hæc deinde demonstrat, & Num. 57. addit: *Quod ipsum quoque plurimis Eruditis & Doctissimis Viris placet.* Cur igitur tibi displicet? cur niteris contra torrentem?

Annotatio Secunda.

SI enim juxta allegata vis erga Sagam exerceri posset, primùm id, maximéque necessarium esset, ut solidis evinceretur argumentis, Magiam inter & * Strigeriam nullum discrimen intercedere, vel saltem hanc esse speciem sub Magiâ contentam? nam si verum sit, quòd Strigeria non nisi in merâ imaginatione consistat (Quæ Sententia multis etiam Catholicis Authoribus placuit, & ultimò evidentibus rationum momentis est demonstrata) atque, quod inde consectaneum est, si Strigeria non sit species Magiam respiciens, sed diversissimum cujusdam superstitionis genus, quod in humanâ existens phantasiâ nihil reale spirat, tunc omnia ex Sacris paginis adducta, & adhuc adducenda exempla, leges, loci, & alia quàm plurima re ipsâ non comprobant, MARIAM RENATAM mortis fuisse ream, cùm non omne, quod species sibi proprium vendicat, & genus sibi commune ducat. Bartholomæus Spina, & Sylvester Priero Magistri Sacri Palatii, Bernardus Comus, Candidus Brognolus, Leonardus Lessius, & alii tuentes Catholicorum partes Theologi fatentur, ultimo mortis supplicio sinè grandi injustitiâ Sagas

multa-

mulctari non posse, si illarum delictum in vanis tantùm Somniis, & lusu phantasiæ consistat. Vide congressum nocturnum de Lamiis lib. 2. c. 13. 16. 17.

* Verbum hoc: *Strigeria*, licèt minùs usitatum, & Magiæ loco positum hìc & in sequentibus, ut Antagonistæ sensum possem exprimere, intactum relinquere volui.

Respons. ad Annot. II.

HÆc Annotatio extra Rhombum saltitat, quia sermonis mei limites transilit; Sermo enim agit de MARIA RENATA ob Maleficium multiplex morti adjudicatâ; & tu D. Antagonista Maleficium taces, ac tantùm somniantem strigem fictitiis coloribus depingis. Tanquam malefica fuit obnoxia divino illi fulmini: *maleficos non patieris vivere*. Exod. c. 22. v. 18. adeóque ex sacris paginis, vel aliunde adducta & adducenda RENATAM mortis ream fuisse, satìs comprobant; nam quidquid dicitur de aliquo universaliter sumpto, dicitur etiam de quovis contento sub illo: atqui universaliter dicitur de maleficis, quòd in eos mortis ferenda sit Sententia: ergo & de RENATA ùt maleficâ hoc dicendum erat. Verùm quidem est (ùt prætenditur) non omne, quod convenit speciei, etiam generi convenit: sic quamvìs homo sit rationalis, hoc tamen prædicatum animali tanquam generi non est attribuendum. Sed iterùm verum est: Quod convenit speciei, convènit etiam individuis contentis sub specie: Sic quia homo est Animal rationale, etiam Petrus est Animal rationale; Paulus est Animal rationale &c. Si ergo Maleficium, quod est species Magiæ superstitiosæ, mortis Sententiam post se trahat, ab eâ nullum Maleficum, maleficam nullam, consequenter nec RENATAM eximere poteris. Hâc responsione tota Annotatio, quæ ad rem non pertinet, jam enervata subsidit. Nihilominùs etiam ad ea, ad quæ respondere non teneor, libet progredi.

gredi. Dico itaquè, Strigeriam esse speciem Magiæ superstitiosæ. Notandum autem primò, quòd, cùm omnes Magiæ superstitiosæ species sibi affines sint, vacantis operæ & desperati laboris foret, singularum peculiares tradere definitiones. Non infrequens est, ut Doctores quocunque modo Magiam Diabolicam tractantes promiscuè & indifferenter Magos, Lamias, Striges, Sortilegos, incantatores, & incantatrices, veratrices & præstigiatrices eodem nomine appellitent. Notandum hinc secundò, Magiam superstitiosam interdum latiùs sumi, interdum strictiùs. Latiùs sumpta comprehendit etiam divinationem & alias species: Strictiùs sumpta, & proùt à divinatione distinguitur, est ars, quæ ordinatur ad aliquid faciendum ultra humanas Vires, non virtute Dei, sed Dæmonis, & hoc modo per se & ex objecto ac fine diversa est ab illâ, quæ ad cognoscendum ordinatur: quatenùs hæc ars non solùm malo modo operatur, sed etiam malum, eatenùs Maleficium & Veneficium comprehendit: ùt præcisè malè operativa est propter Pactum cum Dæmone, sic Strigeriam comprehendit: existimo tamen, Striges plerumque vel semper non solùm malo modo, sed etiam malum operari, Dæmon enim eas ad nocendum aliis impellit. Undè autem, à cœlo, vel à Tartaro haustum præclarum illud Principium, quòd Strigeria tantùm in phanthasiâ existens nihil reale spiret, & quod Striges respectu Dæmonis tantùm passivè se habeant? ubi illa multitudo Catholicorum Authorum, quibus hæc Sententia arrideat? si Strigeria tantùm in imaginatione consistat, idem, opinor, de maleficio facilè affirmabis. Tres quippê hâc de materiâ malè sentientium adverto errores. *Primus* est eorum, qui conantur asserere, Maleficium nihil esse

esse in mundo, sed tantùm existere in imaginatione hominum. Sermonem si de illis, qui maleficio læsi, & vel ab ipsis Dæmonibus obsessi sunt, instituas, risu eum excipiunt, animíque nimiùm creduli levitatem putant, aures præbere his narratiunculis, imò insolitos quosdam effectus vel uteri morbis in mulieribus, vel humoribus melancholicis in Viris, vel apprehensioni vehementi adscribunt. *Secundus* est illorum, qui maleficos quidem dari concedunt, sed eos ad maleficiales effectus tantùm imaginariè & phantasticè concurrere asseverant. *Tertius* est illorum, qui dicunt effectus semper esse phantasticos & imaginarios, licèt Dæmon cum maleficis realiter concurrat. Error primus propullulat ex radice infidelitatis; qui enim dicunt, maleficium, vel etiam veneficium nihil esse, nisi meram imaginationem hominum, etiam credunt, non esse Dæmones, nisi in existimatione vulgi tantùm: Scripturam quoque sacram non admittunt; hæc enim manifestè docet, fuisse & esse maleficia ac veneficia: fuisse tempore Legis antiquæ, patet ex illo Textu Exod. 22. *Maleficos non patieris vivere*, & pluribus Exemplis, quæ prætereo: fuisse tempore Legis Novæ, patet in Simone Mago, qui Actor. 8. c. veneficiis suis alios dementavit: adhuc esse, patet ex verbis S. Pauli, qui Galat. 5. c. Maleficia & omnes Magiæ superstitiosæ species unâ voce complectitur, dum veneficia ponit inter opera carnis, ad quid enim ea operibus carnis accenseret, si malefici & venefici non darentur? & ad quid S. Joannes diceret Apoc. 9. c. v. 21. *& non egerunt pœnitentiam ab homicidiis suis, neque à veneficiis suis*; & iterùm Apoc. 18. c. v. 23. *in veneficiis tuis erraverunt omnes Gentes.* Et quomodo posset veneficos, quo nomine etiam maleficos intelligit, si non daren-

darentur, Apoc. 22. c. v. 15. A cœlo excludere, *foris canes & venefici*, & Apoc. 21. c. v. 8. eos ad inferni barathrum detrudere? *incredulis & execratis, & homicidis & fornicatoribus, & veneficis . . . pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure.* Si dantur homicidæ, adulteri, raptores, & omnis generis peccatores, cur tantùm malefici & venefici non reperiantur? objicies forſan, tempore Legis novæ poteſtatem Dæmonis ligatam eſſe: ſed reſpondeo: quamvis tempore Legis novæ Dæmoni anguſtiores limites poſiti ſint, non tamen ejus poteſtas ita diminuta eſt, quin per Magos & Sagas gravia damna inferre poſſit. Nocuit non parùm tempore Legis novæ per Simonem Magum; hic enim (ùt apud Thyræum Part. 1. de Dæmoniacis c. 16. refert Anaſtaſius Nicœnus) eos, qui ipſum præſtigiatorem vocabant, Dæmonibus ſubjecit, poſtquàm eos allocutus fuerat, & convivio exceperat. Quo autem ſenſu Dæmonis poteſtas ligata ſit, explicat Cornelius à Lapide in cap. 20. Apoc. v. 2. *Ligatus eſt Lucifer, ne per ſuos Dæmones, qui inter nos agunt, totam ſuam vim exerat contra Eccleſiam, ne ſeducat gentes, ex quibus conſtat Eccleſia (ait S. Auguſtinus) quas anteà ſeduxerat, & ſubjectas tenebat, ſed permittere cogatur, ut illæ liberè ad Chriſtum converti poſſint, útque Chriſti fides toto orbe per omnes gentes propagetur.* Accedit, eatenùs tantùm exundanti Dæmonis malitiæ frænum injectum eſſe, quòd circumire, neminem autem ſine conſenſu mordere poſſit. *Diabolus tanquam Leo rugiens circuit, quærens, quem devoret* 1. Pet. 5. cap. Quid verbis hiſce ad propoſitum meum accommodatius? Sic enim aſſero: Leo hic rugiens nocere poteſt nemini, niſi qui auſu deteſtabili illi appropinquat, & immanè hianti illius rictui

manum inſerit: Serpens iſte Stygius ad incantationes magicas venenato ſuo ſibilo pertrahere poteſt neminem, niſi quem propria & perverſa voluntas ad Diabolicas magiæ artes perducit, ſiquidem copioſiſſimo gratiarum rore per Salvatorem noſtrum in Lege novâ perfundimur, communione Sanctorum gaudemus, & Sacramentis ceu firmiſſimis contra nefarios aſſultus clypeis præmunimur. Minimè autem Draconis infernalis poteſtas ità fracta & debilitata eſt, ut in volentes virus ſuum evomere non valeat. Videant igitur, qui maleficii & veneficii nomen in Lege gratiæ de facie terræ delere allaborant, auſu quàm temerario & Sacræ Scripturæ, & SS. PP. Authoritati ſe opponant, videant inſuper, quomodo contra Leges civiles & Eccleſiaſticas ſentiant; nam plurima per maleficos mala mortalibus, & mortem ipſam inferri pro certo ſumitur in L. multi. L. ſi excepta & L. quicunque C. de Malef. & Mathem. ubi vocantur humani generis inimici, & communis hoſtes ſalutis. Nequis medicatis, ſuperſtitioſíſque potionibus ad amorem alios excitari curet, vetatur L. eorum C. de Malef. & Mathem. L. 2. §. adjectio. C ad L. Corneliam de Sicariis, & L. ſiquis aliquid §. abortionis ff. de pœnis. Prætereà Sacri Canones paſſim agnoſcunt hæc maleficia, & has artes maleficas nocendi, & præcipuè in Matrimoniis C. ſi per ſortiarias 33. q. 1. vid. Farinac in praxi q. 20. Num. 74., & præſcribunt trium annorum ſpatium, experiendi causâ, an maleficium ſolvatur, vel removeatur impedimentum, quo tempore elapſo impedimentum & maleficium ſi perſeveret, judicatur perpetuum, & fit ſeparatio. Extra. Tit. c. fin. de frigidis & maleficiatis. Innocentius VIII complurium aliorum hujusmodi effectuum mentionem facit in diplomate

con-

contra maleficos decernens pœnas, eorum culpis commemoratis: *ſuis incantationibus, & conjurationibus, carminibus, aliisque nefandis ſuperſtitionibus, & ſortilegiis mulierum partus, animalium fœtus, terræ fruges, vinearum uvas, & ipſos homines, mulieres, jumenta, pecora & animalia diris tam intrinſecis, quàm extrinſecis doloribus, & tormentis afficere, & excruciare, ac eosdem homines, ne gignere, & mulieres ne concipere valeant, impedire* &c. &c. Similia crimina recenſent, & debitas pœnas conſtituunt Alexander VI. Hadrianus VI. & Leo X. c. nec mirum & in 7. Decret. Tit. de malef. & incant. Hæ omnes leges deridendæ eſſent, ſi, ùt primi erroris Authores volunt, maleficia & malefici Chimeræ & aniles fabellæ forent. Ulteriùs ſuperbi iſti Cenſores contradicunt experientiæ, quâ damna à maleficis illata ſatìs conſtant.

Error Secundus & Tertius (quorum alterutri adhæres) pariter contra leges modò citatas militant. Liquet enim exinde effectus à maleficis cauſatos eſſe reales, & non tantùm imaginarios. Et quis credat ab humanæ juſtitiæ Arbitris tot perſonas in Europâ non niſi ob meram imaginationem aut Somnium rogo eſſe adjudicatas? Simplex utique Somnium mortem non meretur, ſed Pactum cum Dæmone, cujus ope malefici & maleficæ operantur: Adeóque citati ſuprà Authores Bartholomæus Spina, Sylveſter Priero, Bernardus Com. Candid. Brognol. Leonard. Leſſius, & alii adhuc citandi mihi non adverſantur. Somnias autem primò D. Antagoniſta, ſi Strigum crimina tantùm Somnia & phantaſiæ luſum eſſe reputes. Tannerus, quem alibi allegas, te errorem dedoceat:

Sic ait Disp. 4. de justitiâ Q. 5. Dub. 1. Num. 5. ex quibus patet, veneficos & Sagas tanquam non solum in Deum, ac Religionem impios, & blasphemos, sed etiam omnium pessimos ac nocentissimos salutis humanæ hostes, ùt loquitur Imperator L. Fin. Cod. de Malef. & Mathem. dignos esse morte, & extremis suppliciis, ac omninò è republicâ, quoad fieri potest, exterminandos. Somnias secundò, si & multiplex MARIÆ RENATÆ crimen vanum Somnium, & tantùm phantasiæ lusum fuisse, tibi imagineris. Ex Tractatu de congressu Nocturno Lamiarum Italicè conscripto, quem aliis refutandum relinquo, id non evinces. Somnias *3tiò*, si forsan (ùt ex literis Veronâ acceptis intellexi) Magos maleficos dari, eósque pœnis statutis subjiciendos esse, admittas, Sagas autem excludas; cur enim dentur solùm Magi malefici, non autem Sagæ maleficæ? certè Sexus diversus maleficium non impedit; neque solidam eruere unquam poteris Disparitatem.

Annotatio 3tia.

PRofectò insuperabilis, & supra Vires tam teneræ ætatis hæc tentatio fuisset, cùm tamen S. Paulus 1. Cor. 10. v. 13. perhibeat: *Deus non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Quis autem credat, Deum post Salvatoris nostri adventum esse permissurum, ut innocentes ejusmodi animæ sub potestate Dæmonis ingemiscant?

Respons. ad Annot. III.

UBi sufficiens rationis usus, & gratia sufficiens est, quâ quis tentationi possit resistere, ibi tentatio non est insuperabilis, & Deus non patitur supra Vires tentari. Sed sæpiùs parvuli & parvulæ circa septimum ætatis annum vel etiam

citiùs ſufficientem habent rationis uſum, & Deus etiam ſufficientem illis largitur gratiam, quâ tentationi ad peccatum poſſint reſiſtere alias enim eſſent impeccabiles: ergo tentatio non eſt inſuperabilis, nec Deus patitur illos tentari ſupra Vires. Incredibile profectò non eſt, quòd Deus etiam poſt Salvatoris noſtri adventum, parvulos, qui ſuâ culpâ innocentiam amittunt, ſinat ſub poteſtate Dæmonis ingemiſcere. Narrat S. Gregorius Papa lib. 4. Dialog. c 18. puerum quinquennem ob blasphemias damnatum eſſe, *quatenùs reatum ſuum Pater ejus agnoſceret, qui parvuli filii animam negligens, non parvulum peccatorem Gehennæ ignibus nutrîſſet.* Si igitur ſecundùm Sancti & Doctiſſimi hujus ſummi Pontificis teſtimonium puer quinquennis ad orcum abiit, & tanto malo nec adventus Salvatoris, nec præfatus S. Pauli textus obſtitit, cur non credibile ſit, MARIAM RENATAM ſexennem vel ſeptennem parvulam ad Magiæ crimen inductam eſſe? ſi puer quinquennis non ſupra Vires tentatus ſit, cur tentata ſit ſupra Vires MARIA RENATA? poſt adventum Salvatoris permittit ſæpiùs Deus, infantes ſine baptiſmo decedere, & æternâ beatitudine privari; permittit, parvulos & parvulas in hæreſi vel infidelitate educari, vel etiam ad peccata turpiſſima contra naturam induci, cur ergo ſubinde non etiam permittat, parvulos & parvulas in teneris annis Magiæ crimine infici? MARIA RENATA ſic infecta non ùt ille blasphemus puer quinquennis ſtatim ad infernum à Diabolo abrepta eſt, ſed Deus illi ſpatium pœnitentiæ usquè in grandævam ætatem reliquit, & optimam ſe convertendi occaſionem per ingreſſum in Religioſum ſtatum & perſeverantiam in eo ſubminiſtravit, ergo non tentata eſt ſupra Vires, maximè cum pleniorem uſum rationis

tionis adepta pactum cum Dæmone ſæpiùs ſpontaneè renovârit.

Annotatio Quarta.

NOn fallit Anagramma. Dæmon iſte in quodam Germaniæ Gymnaſio ſtudiis operam dederit, ubi Cannochiale Ariſtotelicum Emmanuelis Theſauri magno in pretio eſt.

Reſpons. ad Annot. IV.

HÆc Annotatio non eſt reflexione digna. Parùm refert, in quo Gymnaſio Diabolus iſte ſtudiis operam dederit. Hoc averem ſcire, cujus ſcholam Typographus Ramantzini frequentârit, quíſq; tam mordacem & tribunalibus injurioſam eum docuerit Præfationem ad Lectorem? *Præſens*, ait, *Parænеſis Germanico conſcripta idiomate trinis jam vicibus, totidem diverſis in locis vulgata Typis eſt, Herbipoli primùm habita, Salisburgî recuſa, Anonymo demùm in loco rursùs lucem aſpexit. Fecit mirus & inſolens rei eventus, ut aliquis Germanicæ peritus totam illius ſeriem in Linguam Italicam nobis Vernaculam traduceret, & mihi Verſionem Operis humanitate planè ſingulari dono ſubmitteret; undè proprio inſtinctu motus ſum, eam prælo Typographico excuſam in publicum ſpargere, atque hoc eò magis, quò certiùs mihi perſuaſi, Italis (quos longo abhinc tempore ejusmodi eventûs memoria fugiebat) hâc editioue factâ gratiſſimum me officium exhibiturum. Intereà ut præjudicio occurratur, quod mortis adeò funeſtæ exemplum apud infirmioris ingenii homines Facti Speciem examinantes, aut apud Judices ſingulari mentis perſpicaciâ non pollentes formare poſſet, vehementer ad rem pertinere viſum eſt, locis in præfatâ Parænеſi obſervatu digniſſimis, ad eorum quaſi emendationem Annotationes quasdam adjungere. Tam unum, quàm alterum, benevole mi Lector, non ſolùm ad delectationem tuam,*

tuam, ſed etiam ad commodum tuum & profectum tibi exhibeo, meam interponens fidem, doctam curioſitatem tuam ut paſcam, me non prætermiſſurum, ſi impoſterùm ejusdem generis paginæ meas in manus deferendæ ſint. Interim vale. Multum hìc ſibi Typographus arrogat, ſed ei cum Pictore illo altùm inclamo: Sutor ne ultrà crepidam.

Annotatio Quinta.

MUlta hujus generis, imò majoris gravitatis ſcelera Sagæ confitentur: ſed difficultas in eo verſatur, an tali confeſſioni fides ſit adhibenda. Adamus Tanerus S. J. Theologus Tom. 3. Theologiæ ſuæ ſcholaſticæ Diſp. 4. de Juſt. Quæſt. 5. Dub. 2. Num. 42. teſtatur quòd in quâdam Germaniæ Civitate, cùm damnatarum ſtrigum confeſſio publicè prælegeretur, & inter alia varia homicidia & maleficia certis ac nominatis ibidem perſonis illata referrentur, illæ ipſæ perſonæ tunc præſentes ſalvæ & incolumes falſitatem prælectæ confeſſionis redarguerint. Daniel Sennertus celebris ſuo tempore Medicus in ſua Practica lib. 6. Part. 9. c. 3. Conclus. 3. pariter teſtatur, â ſe quosdam, quorum viſcera periculoſa inflammatio cum grandi tumore conjuncta torrebat, quin aliquid ſupra vel præter naturam in hoc morbo interceſſiſſe deprehenderet, ſanitati reſtitutos eſſe, & plures alios eodem labefactatos morbo, ſed operâ ſuâ vigori priſtino redditos eadem cum prioribus ſymptomata habuiſſe, & tamen quasdam in vincula conjectas Sagas palàm edixiſſe, hanc inflammationis peſtem à ſe ægrorum corporibus afflatam. Talia ac tanta delicta à ſe fuiſſe perpetrata, Sagæ fateantur, neceſſe eſt, ſiquidem illud præprimis advertendum occurrit, nullam hâc absque conditione cœtui ſtrigum adſcribi. Adeóque Sagarum nulla conſuetos cum Diabolo congreſſus manifeſtare poteſt, quin ſimul plurima ejusmodi maleficia à ſe effectui data prodat. Rerum cardo in eo vertitur; utrùm hic conventus verè & re ipſâ accidat, an verò eum phantaſia ludicris ideis fingat? ſi poſtremum? colligere pronum eſt, æquitatem poſtulare, ut delicta, quorum ſe reas confeſſæ ſunt, non ſecundùm factum ſed ſecundùm phantaſiam dijudicentur.

Reſponſ. ad Annot. V.

QUamvìs hæc Annotatio potiùs Dicaſteria, quàm Prædicatorem concernat, breviter tamen eam expedio. ubi, obſecro, dixi, ſoli Sagarum confeſſioni fidem adhibendam eſſe?

esse? ubi dixi, Renatam ob solam propriam confessionem ad supplicium damanatam esse? an non insinuavi, plures fuisse, quæ maleficia ejus prodidêre, circumstantias? Sagarum confessionem sæpiùs falsam esse, libenter assentior. Multum in damnum eorum, qui complices putantur, mentiuntur; non tamen adèo facile, si Confessio in proprium caput & perniciem propriam redundet. Quæ Tannerus, & Daniel Sennertus referunt, fidem merentur. Quòd absque prædictâ conditione fœmina nulla Sagarum cœtui adscribatur, probare nequis. Quid igitur est, in quo Sermonem meum perstringas? *in eo*, inquis, *rerum cardo vertitur, utrùm conventus Sagarum verè & re ipsâ accidat, an verò eum phantasia ludicris ideis fingat?* Quæstio hæc responsione ad Annotationem primam jam soluta est. Dixi conventus Sagarum sæpiùs esse imaginarios, quandoque tamen etiam reales, ùt demonstratum est. Ponamus autem, eos semper esse imaginarios, exinde tamen non sequeretur, quòd earum delicta non secundùm factum, sed secundùm phantasiam dijudicanda essent. Quamvìs non negem, ait Carpzovius Quæst. 48. de crimine sortilegii Num. 58. & Num. 60. Sagas ac Lamias sæpè etiam præstigiis occupatâ phantasiâ tantùm conventibus Diabolicis, commessationibus & choreis interesse sibi videri ... ... non minùs tamen Sagæ ac striges à Diabolo præstigiis ac figmentis ejusmodi illusæ pœnis subjici debent, ac si ipsæmet conventibus Diabolicis interfuissent, aliáque, quæ facere sibi videntur, reverà contigissent, tum ob pactionem & commercium, quod cum Dæmone habent, renunciantes Deo suo Creatori, & obsequium Satanæ præstantes, tum qùòd Sagæ firmiter sibi persuasum habent, omnia, quæ fieri sibi videntur,

dentur, reverà contingere, adeóque necquicquam quoad effectum ejusmodi in voluntate ipsarum desideratur. Joannes Georgius Gödelmannus lib. 3. de Magis & Sagis pœnas iis debitas referens asserit, Sagas secundùm Constitutionem Saxonicam, etiamsi nemini nocuerint, cremandas esse, verba enim Constitutionis hæc sunt: **So jemand in Vergessung seines Christlichen Glaubens mit dem Teuffel Verbündnuß aufrichtet, umgehet, und zu schaffen hat, daß dieselbige Persohn, ob sie gleich mit Zauberey niemand Schaden zugefügt, mit dem Feuer vom Leben zum Todt gericht, und gestrafft werden solle.** Hæc pœna justa est, præsertim quia accedunt alia gravissima delicta, ùt apostasia, idololatria, blasphemia &c. Sagarum scelus longè atrocius est homicidio, adulterio, furto, & tamen his qui contaminati sunt, nemo indignos morte judicat. Quomodo ergo æquitas postulet, ut Sagæ non secundùm factum, sed secundùm phantasiam dijudicentur?

Annotatio Sexta.

ALieni quoque à verâ fide Sagas dari admittunt, sed hac exceptione positâ, putata illarum cum Dæmone conventicula, & omnes effectus inde dimanantes re ipsâ nihil aliud, nisi phantasiæ ipsarum propriæ, & fœdissimis objectis obrutæ lusum esse, adeóque Sagas, licèt enormia scelera confessæ sint, gravioris culpæ non coarguendas, nisi perversæ voluntatis & exigui timoris Domini. Cui sententiæ increduli non solùm & Atheistæ, sed Clarissimi quoque & Doctissimi Catholicorum suffragantur. Si jam poneremus, rem ità se habere, tota MARIÆ RENATÆ causa contra Epicureos nil aliud evinceret, quàm hominis menti turpes interdum imagines objici, quas Philosophi ideas adventitias & casuales vocare assolent. Non inficiantur Epicurei idearum species, illud tantùm mordicùs tuentes, fieri posse, ut species ideales suam existentiam solùm à substantiâ corporeâ accipiant, quin substantia spiritualis quidpiam ad eam conferat. Strigeria hanc hypothesin evertere non valet. Inde est, quòd, licèt multa Sagarum millia in Europâ flammis consumpta sint, suâ tamen de sententiâ Epicurei nunquam decesserint, nec ullo tempore hâc in causâ de suâ opinione vel latum unguem sint decessuri. Quare casus de

MARIA RENATA infideles non adducet, ut credant, Deum vel Dæmonem in rerum naturâ exiſtere; & ſi caſus iſte illos etiam eò adducere poſſet, non eſſet tamen credibile, Deum ad hunc finem rei ſeriem fuiſſe permiſſurum.

Reſpons. ad Annot. VI.

NOn omnes Acatholici (prout generaliter hic de ijs loqueris) ſingulos Sagarum effectus phantaſiæ fœdiſſimis objectis obrutæ luſum exiſtimant. Joannes Georgius Gödelmannus Acatholicus Jurium Profeſſor lib. 1. de Magis & Sagis c. 8. ſcribit, certiorem eſſe Concluſionem Theologorum, Juris Conſultorum, & Philoſophorum aſſerentium, quòd Sagæ permittente Deo varios morbos alijs arte ſuâ diabolicâ afferre, & vitam ipſam adimere poſſint: pro quâ ſententiâ citat Danæum de Sortiarijs c. 2. Benedictum Aretium in Problem. Bartholum conſil. 6. tit. 1. N. 5. Paulum Grillandum de ſortileg. Quæſt. 6. 11. 12. Et Lutherum in expoſit. epiſt. S. Pauli ad Gal. c. 3. Carpzovius P. 1. Quæſt. 48. de crimine Sortilegij N. 47. ait. *Quin imò Sagæ non ſolùm ſunt homicidæ, dum morbos periculoſos, ipſámque mortem alijs immittunt ſuis incantationibus, proprios infantes Diabolo ſacrificant, eósque hâc ratione quà corpus, quà animam perdunt, aliorúmque infantes in utero Matris occidunt, ùt Bodin. probat lib. 2. Dæmon. c. 8. ſed & adulteræ, & tantò tetriores adulteræ, quantò tetrior eſt is, cui ſuccumbunt, nempè Diabolus; homicidarum verò ac adulterorum pœnam capitalem eſſe, tam certum eſt, ut nil certius.* Ulteriùs Quæſt. 49. de crimine Sortilegij Num. 20. tam de Magis, quàm de Sagis Carpzovius ait. *multipliciter ſiquidem peccat, qui Diabolo ſe mancipat. Deo nempe Creatori ſuo renuntiat, fœdus baptiſmi reſcindit, filium Dei abnegat, omnia Chriſtiana fidei documenta relinquit, Sacramenta Eccleſiæ projicit,*

pedi-

pedibúsque conculcat, Dei beneficia detestatur, nomen Dei blasphemijs & convicijs horrendis afficit, Diabolo perpetuum Vasallagium præstat, quòd nunquam ad fidem Christi redire, nec divina præcepta servare, sed Dæmoni perpetuis temporibus obedire, & continuè, cùm vocatus fuerit, ad ludos & congregationes nocturnas venire, & ea, quæ in eis per alios veneficos fiunt, facere, & sacrificijs illorum nocturnis adesse, solitásque preces, & cultum præstare, Diabolum adorare, & vota, quæcunque præstare contigerit, pro Viribus adimplere, & quoscunque poterit alios ad eandem professionem adigere velit; denique animam & corpus suum Diabolo in æternam condemnationem tradit. Ecce, quòd non omnes Acatholici singulos Sagarum effectus phantasiæ adscribant, & quòd Sagas majoris culpæ, quàm perversæ voluntatis & exigui timoris Domini coarguant. Etiam adulteri, etiam fornicarij sunt perversæ voluntatis & exigui timoris Domini. Sed majorem culpam in Sagis Acatholici agnoscunt. Quod Atheistas concernit, obstupesco, quòd in eorum cloacam plures Catholicos conjicias, inquiens, opinioni eorum Clarissimos, & Doctissimos Catholicorum suffragari. Quinam, obsecro, sunt illi? an S. Augustinus? an S. Thomas? an illi, qui se Sanctissimorum Doctorum assec las profitentur? Atheistæ lusum illum phantasiæ nequidem à Dæmonibus, quos negant, causatum credunt; quis autem Catholicorum eis hâc in re adstipulatur? Epicureos insanientes cum ideis adventitijs, ad quas nihil substantia spiritualis conferat, rideo, & bruta nuncupo, siquidem animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritûs Dei. Nisi animales & carnales essent, judicium suum mutarent, & naturæ humanæ excellentiam supra bovis & asini vilissimam conditionem longè elevarent. Si apertè se mani-

manifestarent, cum Magis & Sagis è medio tollendi essent. Strigeria malefica, quâ subinde Dæmones in hominum corpora immittuntur, dubio procul ad eos convincendos apta est, cùm ex insolitis energumenorum operationibus latitantes Spiritus possint advertere: quòd autem nolint, in causâ est eorum cœcitas, & carnalis concupiscentia. Cur Deus in triennio ultimo, in quo Christus prædicavit, plus solito Dæmonibus in hominum corpora permisit, nisi quia Sadducæi nullos dari Spiritus crediderunt? Voluit quippè Deus eos in erroris agnitionem deducere. Rectè itaque dico, maleficio, per quod quidam à Dæmonibus possidentur, incredulos confundi, & Deum hunc in finem id permittere.

Annotatio Septima.

QUam Viri sapientes, & profundi Theologi de possessis opinionem foveant, nemo est, qui nesciat. Inter millenos, quos energumenos existimamus, vix unum, qui à malo Spiritu verè possessus sit, deprehendimus: nequè veræ à Dæmone possessionis Argumentum est, si crediti energumeni precibus, & exorcismis Ecclesiæ adhibitis aliquo modo mitescant; fides namque medelæ certæ & suum effectum modo connaturali producit, & malum si à phantasiâ originem trahat, illud remedio quoque imaginario tollitur. Fortius Argumentum est, si ejusmodi personæ in præsentiâ Exorcistæ, vel adhibitis libris Spiritualibus, vel alijs rebus sacris applicatis præter morem agitantur, & ex improviso vehementes in se motus experiuntur; quamvìs & hæc omnia suam crisin, & exceptionem patiantur. De his lege pulchram Dissertationem M. de Rhodes, de Maria Volet putatâ energumenâ Tom 4. Hist. crit. practicæ superstitiosæ P. Le Brun. Optandum fuisset, ut P. Gaar potissima hoc loco motiva attulisset, ex quibus Moniales Cellæ Dei Inferioris à Spiritu maligno verè possessæ judicatæ sunt; Siquidem Confessio à MARIA RENATA facta ad illud persuadendum non sufficit.

Respons. ad Annot. VII.

NOn inficior, sæpè multos (quos tamen ad millenarium numerum nolim extendere) re ipsâ non possessos esse, quam-

vìs

